



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-561938-p0001-1

DFG



627

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE  
**INCENDIO,**

*Quam*  
PRAESIDE DEO

*Jug. III.*

auctoritate

**NOBILISSIMI AMPLISSI.**  
MIQUE JCTORUM ORDINIS IN  
ILLUSTRI ARGENTORATENSIMUM  
UNIVERSITATE

*Pro*

Summis in utroque Jure honoribus & Privilegiis  
Doctoralibus ritè consequendis

*Solemni examini submittit*

**MATTHIAS KONOW,**  
Hamburg.

*Ad diem 3 Augusti  
Horis locoq; solitis*



**ARGENTORATI,**

**Typis expressit ANTHONIVS HAVE,**  
ANNO M DC LIX.



750



V I R O

MAGNIFICO, NOBILISSIMO AMPLISSIMO  
DOMINO

JOHANNI Sclebusch, Iurecon-  
sulto Excellentissimo, & inclytæ Reipubli-  
cæ Hamburgensium CONSULI, hoc  
tempore Regenti.

Patri Patriæ, Domino ac Patrono meo singulariter observando.

Tum &

SPECTATISSIMO AC PRUDENTISSIMO VIRO  
DOMINO

VVILHELMO de Hartog,  
Civi apud Hamburgenses longè  
Clarissimo.

Domino ac fautori meo multis modis colendo,

Præsentem hanc Disputationem Inauguralem iure meritoria  
summâ cum observantia præsentat.

MATTHIAS KONOW.



## I. N. D. N. I. C.

### Proœmium.

Hema quoddam publicæ  
solennique Eruditorum disputatio-  
ni submittere propositum erat; de  
specie verò eius eligendâ cum diu  
non satis constaret, tandem incen-  
dium placuit. Idque eò magis quod  
non tantum à paucissimis pertractata, sed & quotidiana  
materia esset: quorum alterum ei, qui in hoc studio  
Juridico versatur, notum est, alterum præter alios no-  
vissimus casus testatur, qui nuper haud procul abhinc  
in curia domesticorum ortus, sicut repente contigit,  
ita lugubris maximè, & ferè exitiosus multis fuit. Cæ-  
terum in legendis his thesibus Benevolus Lector haud  
graviter feret, si non magnum allegatorum ornatum  
deprehendet: Quod enim à Seneca *in Ep. 2.* dicitur, in  
memoriam hic revocatum fuit; Lectionem multo-  
rum authorum habere aliquid vagum & instabile, &  
distrahere animum multitudinem librorum. Quæ  
etiam causa fuit, quare præsentem materiam non tam  
alienis opibus ornare, quam propriis meditationibus  
elaboratam, quantâ fieri potuit brevitate, proponere  
animus fuit, hoc unico adiecto, sicubi forsitan non o-  
mnibus peræquè gratam operam præstitero, id tempo-  
ri simulatque gravitati materiæ amice condonent.

A

THE-

2.  
THESES I.

Incendii materia satis tristis atque nodosa  
est. Gail. 2. obseru. 2. pr. Itaque de eo dicturo  
mihi, sicuti multa sunt quæ altioris indagi-  
nis indigeant, ita paulo altius & à suis principiis repe-  
tenda res erit, adeò ut operæ pretium esse non imme-  
rito videatur, siquæ definitio, & quotuplex sit primo lo-  
co doceatur. Duplicem autem eam, hoc est nominis &  
rei esse, non tam à me docendum: quam jam antea con-  
stare omnibus creditur. Nomen iterum modo ejus:  
Etymologia, modo Synonymia declarabit. Ad istam  
quod Incendium ab in & candeo dicatur pertinet,  
Buchn. in *thesaur. Fabr.* Ad hanc non iniquè combu-  
stio ac conflagratio possunt referri. Quamvis enim  
negari haud debeat conflagrationis quidem vocabu-  
lum plerumque de incendio quod casu factum est præ-  
dicari; Combustionem autem ab incendio Hostiensis  
*in sum. de incend. num. i.* distinguat, tamen cum non  
tam verba captanda quam quid res sit dicendum, mihi  
incendium hic in genere omnis maiorignis est, ex quo  
rei vel privatæ vel publicæ diminutio contingit, casu  
autem hoc vel aliter, quibusve in rebus sit factum per-  
inde est.

II.

Et ex his simul quid de definitione rei sentiendum  
apparet. Nec subscribere hac in parte Vulteio pos-  
sum, qui *lib. i. jurisprud. Rom. c. 49.* incendium per da-  
mnum igni culpa alterius excitato datum definit. Cum  
enim tractatio nostra generalis sit, & incendium fieri  
etiam sine culpa & delicto possit, ne definitio strictior  
sit suo definitio rectius ita describi poterit (prout quo-  
que superiori thesi circa explicationem vocabuli fuit  
indica-

3,

indicatum) quod sit damnum igni cum luctu domini  
datum.

## III.

Hoc autem uteo melius cognoscatur, distinguendum omnino erit, utrum datum illud ab homine, an verò casu fuerit; nec enim utroq; casu vel vitio dari, vel vindicari æque poterit, & indistincte de eo disputacionem habere si quis vellet, facile non hæc modo, sed & aberrare planè à vero posset. Casum tamen præmitto: Vbi iterum aliter judicandum si culpa eum præcessit, aliter si ex mero fato ortum atque causam habet, hic fatalis, ille vero culposus dici casus potest. Eaq; distinctio cum in jure fundata, arg. §.3. I.ad L.Aquil. l. si negotia II. D.de negot. gest. l. 22 eod. tum ad propositam materiam plurimum utilis est.

## IV.

Fatalis alio, & nomine non inconvenienti vis divina, vel externa, item casus maior, & fatum dicitur, l. si merces 25. §. vis maior D. locat. l. 11. §. 5. de minor. l. 24. §. 4. de damn. inf. Et est qui provideri vel provisus impondiri non potest. Unde nec præstari solet, l. cum duobus §. damage D. pro soc. l. contractus 23. de R. I. l. si vendita insula II. D. peric. & incommod. rei vend. l. 6. C. de pign. action. Cum satis iniquum esset & principiis juris nostri contrarium, ab aliquo exigere illud quod ingenio suo nec providere, nec opera sua potuit prohibere de l. 6. C. de pignorat. action. & Everhard. in loco à vi energ. seu effect. iur. n. 34. Gail. 2. obseru. 21. n. 1. & 2.

## V.

Non opinor necessarium esse pluribus hīc monere quod secus dicendum sit, si pactum fortunam præcessit, hoc est si pacto quis in se periculum casus

A 2 susce-

riculum casus suscepit, arg. l. 23. de R. I. & l. pacisci 31. D. de pact. Vel res quæ incendio consumpta est non in obligatione speciei, sed generis existat, l. incendium 11. C. si cert. pet. Vel denique is, cui vis divina, imperavit, fur sive prædo sit, quem ex incendio etiam fatali teneri, ex l. ult. D. de condic. furtiv. probari potest. Est enim illud hominum genus semper in mora, d. l. ult. de condic. furt. unde etiam rei periculum ferre omne debet, eo quod moræ ille effectus sit, ut res sit periculo eius, qui moram admisit, l. 5. & ibi Gloß. D. si cert. pet. l. 12. § f. D. depos. Wensenb. & de condic. furt. n. 8. Meier, diss. de culpa th. 119.

## VI.

Ratione eius quod dictum est pacto aliquem posse recipere casum, non inconcinnè subiungitur. Utrum is qui casum receperit, etiam de insolito teneatur? quod cum Doctoribus communiter negandum esse puto, per l. 78. § f. D. de contrah. empt. qui textus licet primo intuitu huic sententiæ contrariari videatur, tamen eo diligentius inspecto apparebit eum minimè esse contrarium: Dubium enim ibi est, utrum fuscipiens in se periculum casus fortuiti si quid scilicet vi aut tempestate factum sit, teneatur, si nives frumenta corrumpant? Et Labeo respondet quod sic, est enim fortuitum, hac ex ratione, quia nives plerumque solent prodeesse agro, quando itaque nocent aut sunt immoderatae aut veniunt contra consuetudinem temporis, exinde autem casus hi non possunt dici insoliti, immo potius soliti, solent enim tales immoderatae nives & contra consuetudinem temporis venientes communiter frumenta corrumpere; manet itaq; textum istum non loqui de casu insolito, sed fortuito.

## VII. II-

## VII.

Illud magis enodandum cum *l. si vendita insula  
ri, D. de peric. & commod. rei vend. expressè dicat*, incendium sine culpa fieri non posse: quorsum ea quæ de incendio merè fatali dicta hactenus fuere pertinent? Vel saltem quomodo casus iste inculposus probari ab allegante possit? Evidem legem istam Interpretes aliquantum detinuisse ex Doctoribus passim constat, maximè quod in *l. nam salutem 3. §. 1. D. de off. præfect. vigil.* idem dicatur, scil. incendia culpa inhabitantium fieri, quæ autem culpâ fiunt ad casum fatalem referri nequaquam possunt. Sed missis quæ ab aliis huc afferri possent, ita rem planam fieri facile puto, si interrei veritatem & eius præsumptionem distinguam, ut quod de culpa in oppositis textibus dictum non nisi de culpa præsumpta accipiatur. Sicuti autem præsumptione tali veritati afferri præiudicium nequit, ita incendium nonnunquam mero fato fieri rectè dixi, nihil obstante, quod juris præsumptio dictis locis in contrarium existat,

## IX.

Cuius ramen præsumptionis iste effectus est, utonus probandi contrarium in habitatorem vel dominum ædium reiiciat. Nec enim juris & de jure ista præsumptio, sed juris simpliciter est, ut adeo culpa hæc à lege præsumpta contrariâ probatione rectè purgari possit, de qua probatione videri potest, Alex. lib. 1. consil. 50. n. 4. Quamvis ne hoc quidem perpetuum sit, eo quod juxta Doctores & Berlich. part. 4. concl. 25. n. 39. culpa ista, quæ in incendio præsumitur saltem levissima sit, quæ sicut (commodati contractu excepto) per raro præstatur, l. 5. §. nunc videndum 2. D. commod. ita.

A 3.

con-

conductori, depositario & similibus, qui de levi tantum tenentur culpa nociva esse ne in hac quidem parte potest, unde incendio exorto isti securi sunt, cum è contra commodatarius virtute istius præsumptionis gravissimo in periculo versetur, vid. Franzk. *comment. D. ad tit. loc. cond. n. 209.* & Rauchbar. *part. 2. quest. 10.*

## IX.

Obiicere hic aliquis §. penult. I. *de locat. conduct.* & l. 25. §. qui columnam 7. D. eod. cum textibus similibus posset, ubi à conductore custodiam diligentissimi patrisfamilias exigi, & ita eum de levissima culpa teneri non obscurè dicitur. Verum negari non debet conductorem vel ex pacto, vel rei natura etiam de levissima culpa teneri posse, ut autem regulare illud sit nequaquam concedendum. Velsaltem Justinianus in d. §. penult. & Caius in l. si merces 25. §. qui columnam 7. D. locat. Superlativo pro positivo utuntur, sicut & aliàs illa commutatio verborum non infrequens est, & eodem modo positivus pro superlativo deprehenditur in §. item is 2. I. quib. mod. recontr. oblig. l. 5. §. 2. D. *commod.* confer. Wesenb. *in comment. add. §. penult. I. de loc. conduct.* & Franzk. *comment. D. tit. loc. n. 203.*

## X.

Et hæc de incendio merè casuali. Quod si vero culpa casum præcedat, tum tenetur quis de casu, de quo alias non teneretur, §. ac ne is quidem I. de L. Aquil. & pro culpæ quæ adest qualitate gravius velleius punitur. exemplū est in l. *lege Cornelia* 4. §. 1. D. *ad L. Corn. de Siccar.* Ita tamen ut poena hæc ad mortem non extendatur. Non itaque poena Legis Corneliae de siccaris locum habere potest, quia hi casus dolo carent, qui necessario requiritur ad hoc ut poenâ ordinariâ quis pos-

possit affici, extra ordinem itaque punientur per d. l. 4.  
§. i. d. t. Illud quoque non omittendum videtur, quod  
culpa, quæ omittenti nocet, debeat esse ordinata ad  
casum, hoc est debet incendium ex tali culpa immedia-  
tè esse exortum, tunc enim committenti erit noxia, et  
iamsi casus præter opinionem venerit, l. 22. D. de negot.  
gest. similis textus est, in l. si. res 3. C. te peric. rut.

## XI.

Quod si vero pactum de non præstando casum  
fortuitum interpositum fuerit, quid juris, videndum, &  
quia pactum dat legem contradiui l. i. §. 6. D. depos., re-  
spondendum, ipsi omnino esse standum, si sc. casus pu-  
rus & simpliciter fortuitus est. Si vero culpa eum præ-  
cesserit contrarium erit decidendum e.g. Titius locavit  
Cajo villam, & Caius expressè convenit se nolle tene-  
ri de casu fortuito incendi, postea per famulum Caii  
incendium fuit exortum, queritur itaque an Caius te-  
neatur nec ne? Et dicendum est eum maximè teneri;  
conventio enim ista quod quis non velit teneri de casu  
fortuito incendi non pertinet ad eum casum quo vel  
ipsius pacientis vel familiæ culpâ factū est per text. in  
l. 30. §. f. D. locat. & quando dicitur neminem teneride ca-  
su, semper subintelligitur, nisi culpa eum præcesserit; pa-  
ria autem sunt utrum propria an vero famulorum adfu-  
erit culpa per d. text. Nunquam tamen hæc culpa præsu-  
mitur, sed ab allegante debet probari per l. 9. §. 4. D. locat.

## XII.

Quod de culpa dictum idem etiam de mora te-  
nendum, ut supra in thesi s. jam fuit indicatum, nam &  
hæc facit ut quis casum præstare teneatur, c. un. X. de com.  
mod. Verum hæc regula exceptione non caret. Quid  
enim si res quæ periit apud debitorem eodem modo  
apudi

apud creditorem fuisset peritura? tunc cūm Doctoribus dicendum puto debitorem liberari non obstante quod in mora fuerit: Constat itaque ex jam dictis tria præcipuè esse, quæ casum præstare faciunt nempe culpam, pactum & moram, per alleg. c. un. X. de commod. quorum si nullum adfuerit nec præstatio eius exigi poterit.

## XIII.

Sufficiat hæc dixisse de fortuitis incendiis, jam quomodo ab homine fiat incendium, videndum. (scindum vero est vocabulum hominis hic denotare tam liberum quam servum, quia in delictis publicis, uti est nonnunquam factum incendii, l. 5. junct. l. 1. D. ad L. Iul. de vi publ. Carpz. in pract. crim. part. 4. q. 38. n. 1. et iam servi propriè obligantur, l. 2. C. de accusat. l. hos accusare 12. §. 3. D. eod. l. penult. D. si ex noxal. caus. ag. Wessnb. in π. t. de noxal. act. n. 2. & conveniri possunt) Cæterum homo qui tale delictum committit, vel dolo id facit, vel culpa, unde illud dolosum hoc culposum dici potest. Dolosum est, quando quis sciens prudens & nocendi animo ignem in alicuius ædes vel res immittit, arg. l. 9. & l. ult. § f. D. de incend. ruin. naufr. quod delictum cum enorme & grave sit, graviter quoque illud fuisse punitum nemo mirari debet.

## XIV.

Est autem poena huic delicto imposita alia à Carolo V. Imperatore, alia à jure Civili: Illius Constitutionem legere licet in Constitutionibus eiusdem criminalibus, artic. 125. Jus Civile autem poenam variat, pro varietate nempe personarum, quæ illud commiserunt, ut & pro varietate loci, ubi illud factum fuit, l. aut facta 16. §. sed hæc, 1. D. depæn. Locus facit ut aliter pu-

9.

632

puniatur incendium factum in civitate, aliter vero factum in villa. In civitate facti incendi poena est ut reus vel decapitetur, vel comburatur, vel bestiis obiciatur, l. 28. §. 12. D. de pæn. l. 9. D. de incend. ruin naufr. l. ult. §. f. d. t. Raucbhar. p. post. quæst. 10. n. 7. VVurms. in pract. observ. lib. I. tit. 47. observ. 20. Quod si verò extra civitatem factum sit incendium, tunc incendiarius decapitatur, vel mitiori pœnâ afficitur l. 10. D. ad L. Cornel. de siccari. l. 11. C. de his qui accus. non possunt. Rauchb. VVurms. dd. ll. Doctores aliam adhuc faciunt differentiam scil. inter incendia magna & parva & horum pœnam leviorem, illorum graviorem esse asseverant, us Carpz. p. 4. quæst. 3. Schneidw. ad §. capite tertio I. de L. Aquil. Berlich. tom. 4. conclus. 24. num. 34.

XV.

Personarum respectum seu dignitatem cum constet in omnibus ferè delictis mitigare pœnam per textum expressum, in l. 3. §. 5. D. ad L. Cornel. de siccari. & alios quam plurimos, ita & in hoc observari delicto dubium non est propter textum in l. ult. §. f. D. de incend. ruin. naufr. ubi verba satis clara hac de re habentur. Ita quidem ut Doctores exinde concludant Incendiarium Nobilem vel in aliqua dignitate constitutum propter incendium in civitate factum decapitari debere, ob incendium verò in villa factum, vel deportari, vel relegari, Berlich, tom. 4. conclus. 24. n. 9.

XVI.

Non autem dignitas tantum huius delicti pœnam minuit, aliæ enim adhuc sunt causæ, quæ non solum eam mitigant sed & planè cessare faciunt. Facit autem cessare pœnam, seu excusatur & quidem in totum infans, id est septem annis minor, l. 18. C. de jur. de lib, ut & infantiae proximus, §. Sed quod 10. l. de Inutil. sti-

B

pul.



*pul.* hi enim quicquid vident & faciunt ignorant, unde nec criminaliter puniri possunt per textum, *in l. 12. D. ad L. Corn. desiccar.* Item pupillus qui doli capax non est, nam de eo qui pubertati proximus est aliud dicendum videtur, *l. III. de R. I.* quia isti in delictis pro puberibus habentur, *l. 23. D. defurt. Iul. Clar. in §. f* quest. 60, n. 2.

## XVII.

De furioso idem habendum, qui & ipse à poena est excusandus, nam & hic quid facit ignorat, & satis ipso furore punitur ut est in *l. 12. D. ad L. Corn. de Siccar. Iul. Clar. loc. alleg. n. 7.* Sed quod ætatem atque furorem excusare ineendum ab homine causatum dictum est, quoad vindictam criminalem tantum, non etiam si civiliter ad rei persecutionem agitur accipendū erit. Quoties enim ex re actio vel obligatio oritur furiosus & pupillus excusari nequaquam possunt per expressum textum, *in l. furiosus 46. D. de O. & A.* ubi obligatio ex re nihil aliud significat quam obligationem sine mutuo & expresso consensu introductam, quod contingere etiam delicto potest, Borcholt. *Diss. de reb. cred. i. ad posit. 16. arg. 3.* Quamvis non ignorem Doctorissimum Cuiacium in Recit. solennib. ad t. de O. & A. in d. l. 46. à me dissentire: obligationem scilicet vel actionem ex re oriri, tunc demum, ubi quasi contractum est non etiam si peccatum est. Movetur ille *l. infans 12. D. ad L. Corn. de siccar. & l. sed et si §. §. 1. D. ad L. Aquil.* Verum sicuti lex Cornelia ad vindictam criminalem introducta, ita oppositio, *l. 12.* debellari facile potest. Acrius autem instare adducta, *l. sed et si. §. §. 1. D. ad L. Aquil.* videtur, quippe quæ & ipsa non ad poenam corporis, sed damni estimationem agit, & rei persecutoria.

ria est, ex delicto tamen, hoc est culpa descendens, quā cum infans vel furiosus non tenentur, meritò quoque ex delicto talium tanquam ex reactionem non oriri videre licet. Qualis disputandi ratio pro Cuiaciana sententia quidem non malè proponitur, sed re penitus inspecta, non contemnenda diversitas deprehendit. Est enim ex L. Aquilia actio, ne à parte actoris quidem merè rei persecutoria eo quod per inficiacionem crescit, l. 23. §. 10. ad L. Aquil. & modo quanti res in anno retrorsum, modo quanti in diebus 30. proximis unquam plurimi fuit, competit, quamvis res tempore damni tanti nequaquam fuerit, Wes. ad L. Aquil. n. 5. Quæ sane ratio facit ut nec adversus hæredes concessa sit, l. inde Neratius 23. §. hanc actionem 8. D. ad L. Aquil. Unde textu illo nihil obstante, maneat decissum, infantem atque furiosum ex incendio rectè conveniri, non quidem ad ullam poenam, sed solum ut quantum revera damnum datum resarciantur. Exigit hoc justitia qua suum cuique tribuendum, nemo lædendus, l. 10. D. de just. & jur. aut iniqua per alterius factum conditione afficiendus. Suadet quoque æquitas, qua Prætor succurrere & ad minimum si alia actio non competat, per in factum actionem rem ita debet moderari, l. quia actionem 11. D. de præscript. verb. Quid? quod etiam in simili si bestia quædam causa incendi existeret, utique Dominus de æstimatione damni tenebitur, l. 1. pr. D. si quadrup. paup. fec. dic. & Constit. Carol. criminal. artic. 130. quæ tamen nec ipsa culpa vel iniuria fecisse dici potest. d. l. 1. §. 3. si quadrup. paup. fec. dic.

## XIX.

Causæ quæ poenam saltem minuunt variæ sunt, ut poenitentia, ebrietas, propria confessio, senectus &

B 2

aliæ



aliæ quam plurimæ quas omnes enumerare instituti  
ratio non permittit & de iis satis prolixè agit *Iul. Clar.*  
*in d. quest 60.*

## XIX.

Postquam vidimus qua pœna jure antiquo incen-  
diarii dolosi fuerunt puniti, videndum quoque est  
quomodo hodiè puniantur. Invenitur autem pœna  
eorum, ut supra *z. h. 14. dictum, in Constitutione criminali*  
*Caroli V. articulo 125.* his verbis expressa: Item die *Wofz,*  
*hafftige überwundene Brenner / sollen mit dem Feuer*  
*vom Leben zum Tod gerichtet werden.* Quare autem  
Incendiarii comburantur, ratio hæc esse potest, quia is  
qui domum incendit quam plurimos periculo exponit  
ut incauti vivique propriis in domib<sup>9</sup> consumātur, qui  
itaque tale exitium aliis præparat eodem modo ut pe-  
reat iniquum non est. *arg. l. 7. D, de extraord. crim.*

## XX.

Quæ pœna cūm coincidat cum pœna juris Dige-  
storum, ita ut dubitari possit utrum per Constitutio-  
nem Carolinam aliquid immutatum sit nec ne, Nihil-  
ominus tamen si quis diligentius inspiciat textum  
Constitutionis Carolinæ, non unam deprehendet dif-  
ferentiam inter jus novum & antiquum. Hoc enim  
cum multiplex & varia pœna Incendiariis esset impo-  
sita, Constitutio Carolina eas in unam redigit, quâ  
indistinctè omnes sine ulla exceptione puniri debent:  
Cum enim textus generalis sit, generaliter quoque ut  
accipiatur æquum est, ita ut nemo excludatur *Carp.*  
*d. l. n. 16. 17. & 18.*

## XXI.

Ne is quidem qui proprias inflammavit ædes,  
mo-

13.

634

modo id fecerit animo nocendi vicinis, seu ea intēti-  
one ut combustis propriis ædibus ignis vicinorum  
quoque consumat ædes Carpz. part. 4. const. 17 def. 2.  
Licet flamma in ipso initio sit extincta nec vicinis  
ædibus nocitum, non enim damni qualitas tantum,  
sed etiam delicti atrocitas, & animus inspicitur. l. 1. D.  
ad L. Corn. de sicc. & licet vel minimum immo plane nul-  
lum fuerit damnum datum, tamen quia delictum fuit  
consummatū pœnam non evitabit reus Carpz. d. l. def.  
3. 4. Idem dicendum de eo qui damnum restituere pa-  
ratus est, propter easdem rationes, & ne malitia incen-  
diarii maneat impunita. Sicuti & is qui alteri man-  
davit ut ignem immittat, nam equalis pœna tam man-  
danti quam mandatario infligitur l. 15. §. 1. D. ad L.  
Corn. de siccari. Illi quidem quia quod quis per alium fa-  
cit ipse fecisse intelligitur, ut habet vulgata regula :  
Huic vero qui rei turpis nullum est mandatum l. 6. §. 3.  
l. 22. §. 6. D. mand. c. non est obligatorium de R. I. in 6.  
Carpz. part. 4. cbnclus. 12. def. 6. & 8.

XXII.

Alia adhuc differentia inter jus antiquum & no-  
vum reperitur in eo, quod Constitutio Carolina non  
nisi unum agnoscat incendium, non observato utrum  
in civitate, an vero in villa fuerit factum, cum tamen  
jus civile non tantum diligenter eadiscernat, sed & di-  
versas pœnas iis imponat, ut ex antea dictis jam notum  
est. Quarum tamen persecutio non est perpetua, nam  
præscriptio ut alias accusationes ita & hanc de incen-  
dio cessare facit. Ut autem sciri possit quando ea pro-  
cedat distinguendum est utrum criminaliter an vero  
civiliter agatur, Civilis enim actio per 30. extinguitur  
annos. Criminalis vero 20. annorum præscriptione

B 3

con-



contenta est l. 3. D. de requir. reis. Hæc enim præscri-  
ptio, nisi alia in jure sit definita omnia delicta extinguit  
Lubler. de Incend. c. 3. n. 30. per d. tx. Debet autem hæc ex-  
ceptio præscriptionis à reo objici, Judex enim in crimi-  
nalibus eam non supplet. Mynsing. cent. 4. obser. 25.

### XXIII.

Et tantum de dolosis incendiis, culposa quoque  
ut attingamus ordo requirit: Qui a vero culpa non una  
semper eademque est, verum tres ejus reperiuntur gra-  
dus, lata scilicet, levis, & levissima, Incendi quoque  
culposi tres facienda sunt species, ita ut fiat vel culpa  
lata, vel levi, vel levissima: Culpa lata fit incendium  
quando ex dissoluta exoritur negligentia textus est in l.  
29. pr. D. mand. l. 226. de V. S. l. II. D. de incend. ruin.  
naufr. & qui ita incendio causam præbent non impu-  
niti manent.

### XXIV.

De poena tamen ejus Doctores inter se non con-  
veniunt propter textum in l. II. D. de incend. ruin. naufr.  
in quo textu quidem dicitur, quod incendium culpa  
lata commissum, sit puniendum, sed qua poena non  
exprimitur, unde variæ eorum ortæ sunt opiniones:  
Verior tamen & juri nostro magis consentanea vide-  
tur corum sententia; qui statuunt poenam esse arbitra-  
riam, uti faciunt Menoch. lib. 2. de arbit. jud. quæst. c.  
4. eas 390. n. 26. Rauckb. d. quæst. 10. n. 10. commoti  
per antea allegatum textum l. II. de incend. ruin. naufr.  
ut & propter l. 3. §. 1. D. de off. præf. vigil. Nam quan-  
do in jure nulla certa poena delicto est imposta, arbi-  
trio judicis ea est committenda l. 1. §. f. D. de jur. de lib.  
l. metus 3. sub. f. D. ex quib. caus. maj. Berlich. d. l. n. 24.

Ita

Ita tamen ut Judex eam non extendat ad mortem propter l. 3. §. 1. D. d. t. de off. Praef. Vigil. Berlich. d. conclus. 25. n. 8. Ex hac ratione, quia poena arbitraria est dubia & incerta, in dubio vero mitior poena est eligenda l. interpretatione D. de pœn. Menoch. de arbit. jud. quæst. lib. 1. quæst. 86. n. 2. Unde capitalis quæ omnium pœnarum gravissima est infligi non potest, idq; etiam satis probatur ex alleg. l. 3. §. 1. de off. Praef. Vigil.

## XXV.

Nec reus liberatur hac pœnâ sed etiam ultra eam tenetur ad damni restitutionem d. l. 9. de incend. ruin. naufr. l. 28. §. 12. D. de pœn. Nam & hic ut & in aliis delictis omnibus tam criminaliter ad pœnam publicam quam civiliter ad privatam damni reparationem agi potest l. 23. §. 9. D. ad L. Aquil. Ad recuperandum autem hoc damnum plura parti læsæ competit remedia, habet enim actionem ex edicto Prætoris extit. D. incend. ruin naufr. Item actionem ex L. Aquilia l. 27. §. 5. 6. 7. 8. 9. D. ad L. Aquil. Berlich. d. conclus. 25. n. 11.

## XXVI.

Non incommodè hic quæri potest, utrum ea quæ diximus obtinere in culposis incendiis, scilicet ut ultra pœnam etiam ad interesse possit agi, in dolosis quoque obtineat? Quod multi affirmant, nec desunt qui id negant. Affirmantes moventur per l. qui ædes 9. D. de incend. ruin. naufr. l. capitalium 28. §. 12. D. de pœnis. Inter alia per c. si aggressus 5. et. c. si domum 6. X. de injur. & damn. dat. Mynsing. cent. 6. observ. 88. Rauchb. d. quæst. 10. n. 11. Expressè enim in allegatis textibus dicitur incendiarios ad damni restitutionem teneri. Verior tamen videtur negantium opinio, qui statuunt in omnibus ferè delictis ubi pœna mortis vel alia corporis afflictio.

afflictiva infligitur reum non teneri ad damni reparati-  
onem , nam ibi interesse publicum privatum absunit  
Carpz. *de fin.* 13. Berlich. *d. p. 4. conclus. 19. num. 35.* &  
*conclus. 24. num. 49.* & seqq. qui ad textus antea allega-  
tos respondet & dicit priores duos juris civilis textus  
nempe *l. 9. de incend. ruin. naufr.* & *l. 28. §. 12. D. de*  
*pæn.* loqui de tali incendio quod non dolosus culpa est  
exortum : Postiores vero duo Juris Canonici textus  
loqui quidem de incendio voluntario & ex proposito ,  
facto, sed quia Jus Canonicum Incendiarios igne vel  
morte non punit Menoch. *lib. 2. D. arbit. jud. quest.*  
*cent. 4. c. 390. n. 37.* & seq. ideoque mirari nemo debet  
si addamni restitutionem eo jure teneantur.

## XXVII.

Levi culpa incendium fieri dicitur illud quod per  
incuriam fit *l. 11. D. de peric. & incommod. rei vend. e.g. si*  
*scil. aliquis in custodiendo igne non eam adhibet dili-*  
*gentiam, qualem frugi patresfamiliae rebus suis adhi-*  
*bere solent, Rauchbar. d. q. 10. n. 18. Berlich. d. concl. 25. n.*  
*16. Exemplum habemus in l. 30. §. 3. ad L. Aquil.* ubi  
quis die ventoso ignem in stipulam suam vel spinam  
immisit comburendæ eius gratia, culpæ enim res est,  
si vi venti ignis ulterius evagatus vicinum læsit ; Licet  
enim incendium per ventum excitatum casuale sit &  
fortuitum, si scil. is qui ignem habuit omnia observa-  
vit, quæ observare oportuit, tamen hic culposū fit, quia  
culpa præcessit casum , & nullo modo se excusare po-  
test, qui die ventoso ignem in stipulam immisit & per  
hoc vicino nocuit, cum enim damno occasionem de-  
dit, ipse illud fecisse intelligitur, uti dicitur in allega-  
to textu.

Hanc

Hanc autem culpam non solum præstare tenentur Inhabitatores, inquilini & alii, sed etiam ipsi Domini ædium, si per incendium in ædibus eorum exortum vicinis fuerit nocitum. Nec movet quod in l. 18. *D. solut. matr.* dicatur; in popriarum rerum administratione culpam à nemine exigi, & ita nec admissam coerceri posse. Verum enim hoc est si culpa talis aliis damnum non dedit; alias culpa in re propria, præcedens casum in re aliena obligat, l. 27. §. 8. *D. ad L. Aquil.* Rauchbar. d. q. 10. n. 23.

## XXIX.

Convenitur autem talis incendiarius civiliter ad hoc ut damnum restituat, l. 1. 2. *C. de L. Aquil.* l. 28. §. 12. *D. de pæn.* l. 9. *D. de incend. ruin. naufr.* ibi q̄, Gothofred. in not. lit. y. qui vult ad duplum posse agi, ex Paul. 5. sentent. 3. §. ult. Utrum autem criminaliter quoque cum eo agi possit, de eo multi dubitant propter, *d. l. 9. de incend. ruin. naufr.* Puto tamen illud affirmandum exemplo actionis furti civilis, quæ cum criminali planè concurrit, l. ult. *D. defurt.* ita ut quamvis prius ad æstimationem damni actum, vel contra fuerit, nihilominus tamen altera institui actio rectè possit: cum enim actiones istæ diversæ sint, diversumque in finem institutæ, cur altera alteram consumerebeat videre nequam possum, & forsitan ea de re plura dicendi futurus amicorum congressus occasionem dabit: Itaque his omissis tandem quid in levissima obtineat culpa examinandum restat.

## XXX.

Levissima igitur culpa incendium tum dicitur factum, quando quis talem non præstat diligentiam quam optimus ac diligentissimus paterfamilias suis

C                           rebus

rebus præstare solet, l. 18. D. *commod.* Rauchbar. d. q. 10.  
n. 28. Berlich. d. *conclus.* 25. n. 36. Et propter hanc culpam  
nemo ad aliud quid quam ad solam damni reparatio-  
nem obligatur, per d. l. 9. vers. Si vero casu D. *de incend.*  
*ruin. naufr.* quam non evitabit, etiamsi illa in omitten-  
do fuerit; nam licet talis culpa non semper possit vin-  
dicari actione L. Aquiliæ ut volunt Doctores, tamen  
nonnunquam cum ipsa, tum alia potest intentari actio  
quæ incendiaria dicitur, l. 7. §. 13. D. *de pact.* de qua in  
tit. *de incend. ruin. naufr.* ibid. Wesenbec, n. 6.

## XXXI.

Hoc quæstionis est utrumii, qui ad levissimam  
culpam præstandam obstricti non sunt, actione legis  
Aquiliæ conveniri possint ad damnum & interesse re-  
saciendum, quod ex incendio levissima culpa exorto  
illatum est? Quod affirmare non vereor propter ex-  
pressum textum, in l. 44. D. *ad L. Aquil.* & l. 27. §. 11. eod-  
modo culpa ista fuerit in faciendo, ut vult Menoch. d.  
*cas.* 390. n. 11. Berlich. d. *conclus.* 25. n. 59. non in omitten-  
do commissa.

## XXXII.

Videtur & hoc addendum, non semper cum, qui  
incendium fecit, puniri, sed alium. Quod licet primo  
intuitu juri nostro videatur contrarium, statuit enim  
illud, Neminem ex delicto alterius obligari, arg. l. 74.  
*de R. I. l. 6. §. 1. C. unde vi.* in re itamen veritate illud non  
est, ut partim supra dixi. Dominus namque seu pa-  
terfamilias tenetur de incendio à familiâ excitato quia  
scilicet caput familiæ est, & eius imperio omnes sunt  
subiecti. Non autem indistinctè hæc assertio vera est,  
sed tunc demum obtinet, quando 1. constat de certâ  
personâ ex familiâ quæ incendium fecit, certi enim ho-  
mi-

minis factum debet argui, l. 6. §. f. naut. caup. stab. Et  
 2. persona ista circa officium suum deliquit; tunc enim  
 Dominus sibi imputare debet, quod in eligendis servis  
 non maiorem adhibuerit diligentiam, l. ult. §. 4. d. l. l.  
 27. §. 11. D. ad L. Aquil Si vero decertam ex familiâ personam  
 cuius culpa incendium factum est non constat, aut is  
 qui incendium fecit extra officium suum peccavit, tunc  
 non tenetur paterfamilias, Gail. l. 2. observ. 21.  
 n. 6. Rauchbar. d. quest. 10. n. 67. Berlich.  
 d. conclus. 25, n. 105.

F I N I S.



C 3

Nobiliss.



NOBILISSIMO CLARISSIMO QVE  
V I R O

DOMINO CANDIDATO.

**D**ilectum Themidi germen, mens  
aucta politis  
Artibus, & moris lex specimen-  
que boni,  
Conscendit cathedram CONOW, latu-  
rus honorum  
Præmia iam pridem debita iure sibi.  
Commodet his meritis pulcrum Fortuna  
fauorem,  
Et servet nobis hoc Patriæque decus.

*Amico & Fautor i honoratissimo,  
animo quam carmine meliori gra-  
tulatur*

Jo. Henr. Bœclerus

---

*Nobili, Clarissimo & Consultissimo  
D O M I N O*

MATTHIAE KONOW.

**I**NCENDI terrore tui non rura coloni  
Destituunt, patrio civica turbalari

N<sup>o</sup> 1

Nil metuit, nec aquam trepidans vicinia clamat,  
Siphonem & subitas nemo requirit hamas.  
Huic Themis ipsa facem socio porrexit Honore,  
Emicet ut laudis splendida flamma tuæ

638.

*Amititia & boni omnis causa scilicet:*  
Robertus Koenigsmannus,  
Eloq. Professor.

---

### NOBILISS. DN. KONOW.

**Q**uem vel erudita quondam destinavit Lipsia,  
Ac vel Altdorffum paravit, experivit Gallia,  
Hunc sibi nostrum Lycéum vindicat tandem diem;  
Et super felicitates cæteras id deputat,  
se, quod omnibus negatum, possidere maxime.

Quam TIBI, dilecte, lator, quum tuum specto decus,  
Et tot Heroas modesta concitantes jurgia,  
Cum quibus viciisse pulchrum, vel fugam pulchrum est da-  
re,  
Si quid amplius requiris, servet, opto, TE Deus.

Honoribus  
perquam dilecti sui conterranei  
& commensalis ita favebat  
D. M. Griesse.

---

*Amplissimo & Consult. V.*

### Domino KONOW.

**S**i quod quisque sibi vivit, vel cogitat in se,  
Ex solo demum concipit ingenio,  
Optimus esse mihi K o n o w, quin igneus esse,  
Et solidi multum continuisse potes.  
Quicquid agis, divinus agis, seu sacra parantur,  
Seu veteres potius, seu nova Musa placet,

Scu



Seu totum Juris corpus, superabile nulli,  
Seu toties victae carmina legis adis.  
Omnia ad arbitrium veniunt, & quicquid abhorret  
Longius, ex rebus non amat esse tuis.  
Nullius infelix quæreris Doctoris acumen,  
Quicquid suppeditat litera prima, legis.  
Nunc etiam dum summa tibi certamina fervent,  
Et iuns ex alio spiritus igne micat,  
Expressam referunt incendia condita mentem,  
Et factam flamma de meliore probant,  
Quām vel mille modis aliis atque artibus ornas,  
Quarum præcipuam postulat usus opem.  
Ardeat ergo licet; ponit tua pagina leges,  
Et rem præsentem religiosa docet,  
Discernenda putas incendia, nec tibi tantum  
Fatorum in sacras creditur esse domos,  
Quin non solertes illud prævertere curæ,  
Aut hominum possit restituisse manus.  
Quanquam non hominum est semper præstare salutē,  
Interdum eximiā plus valet arte malum;  
Verū te Konow post tot discrimina rerum  
Et non unius tædia longa viæ,  
Defunctumq; tuo (sunt hæc mea vota) labore,  
Accipiet cives patria lata suum.

In vicem amoris & observantie  
nusquam vulgariter L.M.Q.  
adscripsit

Joh. FRID. SCULPTORUS.

(?) o (?)

Strassburg, Diss., 1659-60



TA → OL

1077





